



*continet huc*

Conspicuum huc hoc volumine

1. Fochflech solatio de economia euangel. N.T. cum Hammondo et Clerico ad Rom. I. 17.
2. Fromman de ratione profundi.
3. Freybeben Historia litteraria sive profeshio interpretum.
4. De die quod euangelisticus proponit.
5. Heilmann de ratione quam ratio se habeat humani genitio ratione & reparatio ad Rom. V. 8.
6. Barth ad Ps. XXXVII
7. Bouler de interpretione ad Co. III. 9.
8. Welch de interpretacione prophetica ad 2 Cor. VIII. 9. 10.
9. Lingard de scripta humana predicta aperte typi propheta ad Matt. III. 1. 2.
10. Vennius de origine euang. ad Ebor.
11. Arthurius eius de ratione rationibus.
12. Georgius de aliis lege ad Petrum euang. trinitate ad Co. XVI. 5. 6. 23.
13. Lingard de uno necessario ad loco Matthei VI. 24. - 34. & 40 ad VIII. 11. - 17.
14. Lingard de Cor. XII. 26 & Cor. IV. 6. & Cor. IV. 8. a filii sui regista ad Lue. XXVI. 1. 9. & XXIX. Ad. 4. 8.
15. Lingard de termino sancti non perambulatoris ad Rom. XIII. 11. - 14. & XV. 4. - 13.
16. Glaser de trinitate in scriptis prophetis & prophetis & ratiōnē platonica.
17. Ruth adventus ipsi sancti ad Co. XXV. 26 alio VIII. 3. 9.
18. Lingard de ipsi s. in his portis Christi vivendo ad Co. XIV. 16.
19. Lingard. sermons ex aliis suis scriptis non contigit in agro. ad Num. XXI. 6. q. Co. III. 14. 15.
20. Lingard. de humanelle vestigio rescribitur ac nolle ad Ioh. VII. 15.
21. Lingard. omnia huius mortis lumen phale Lingard. XV. 1. - 21.
22. Lingard. dicens quoniam cum locutus baptista, maria & discipuli Ioh. precium baptizati, ac
23. Lingard. baptistae puer hodie ad Matthei V. 5.
24. Lingard. omnia huiusmodi antecedentibus pars dogmatis.
25. Neubauer de Michaeli apocalypso Ioh. XIX. capitulo ad Dan. X. 13. 21 Iud. 9 Apoc. XII. 7. 1 Petri. IV. 16.
26. Lingard. vindicta diff. antedictus.
27. Lingard. de corpore Christi diff. ad Iud. 9.
28. Michaelis Christi. de quantitate etiamorum ratione antiquitate.
29. Lingard. de modis epistola ex coelis diff.
30. Michaelis Christi. David dicti de virtutib. a Ioh. redimimus de patri plenarius. ad Ps. XXII. 26. 27. 28.

IN HOC VOL VON LNL  
explicatur sequentia loca.  
ex v. t.

- Nr. 21. Epis. XV. 1-21.  
19. Num. XXI. 6-9.  
6. Ps. XXXVI.  
30. Ps. XXII. 26-27-28.  
20. Ies. VII. 15.  
25. Dan. X. 13-24.  
9. Zach. III. 1-2.  
ex N. T.

- Nro. 12. Mathe. VI. 24-34  
29. — V. 5.  
13. Luc. VII. 11-17.  
14. — XVI. 1-9  
14. — XIX. 41-48.  
7. Io. III. 9.  
19. Io. III. 14.  
17. — XV. 26. VII. 39.  
12. — XVI. 5-23.  
10. — XV. 16.  
1. Rom. 1.17.  
5. — V. 14. /  
15. — XIII. 11-14.  
15. — XV. 4-13.  
8. 2 Cor. VII. 9-10.  
25. 1 Tefl. VI. 16.  
25 & 27 Jud. 9-  
25. Apoc. XII. 7.

4

DISCIPVLI  
EMMAVNTICI

---

COMMENTATIO

AD

PIE CELEBRANDA PASCHATIS

SACRA

IN ACADEMIA IENENSI

PROPOSITA

---

LITTERIS SCHILLIANIS

DEI GRATIA  
ERNESTVS AVGUSTVS CONSTANTINVS

DUX SAXON. IVL. CLIV. MONT. ANGAR. ET GVESTPHAL  
LANDGRAV. THVR. MARCH. MISN. COMES PRINC  
DIGNIT. HENNEBERG. COMES MARCAE ET RA  
VENSBERGAE DYNASTA RAVENSTEINII

RELIQVA

RECTOR ACADEM. IEN. MAGNIFICENTISSIMVS

GRATIAM IESV CHRISTI  
A MORTVIS REDVCIS

PRECATVR

CIVIBVS



POSTquam salutis nostrae sponsor ab inferis ad pristinam re-  
dierat vitam, id in primis faciendum fibi est arbitratus, ut  
non solum per angelos, quibus ministris vtebatur ac nun-  
tiis, de hoc tam illustri ac glorioso reditu suos certiores  
redderet; sed etiam ipse in conspectum iis se daret seque for-  
tissimum sisseret nostrorum, quibuscum dimicandum ipsi fuerat,  
hostium victorem. Itaque uno, eoque ipso, quo reuixerat, die  
quinquies ac primum quidem Mariae, *Marc.* XVI, 9. *Ioann.* XX,  
11-17. deinde huius sociis, mulieribus, e sepulcro ad urbem redeun-  
tibus, *Mattb.* XXVIII, 8-10. tum Petro, *Luc.* XXIIII, 12. coll. v. 34. et  
*I Cor.* XV, 5. post duobus discipulis, Emmauentem proficisciensibus, *Luc.*  
XXIIII, 13-35. coll. *Marc.* XVI, 12. ad extremum suis legatis et aliqui-  
bus horum amicis, *Marc.* XVI, 14. *Luc.* XXIIII, 36-49. *Ioann.* XX, 19-23.  
fese præbuit visendum a), hocque facto, satis superque oculorum sensu

ac

a) de harum ac reliquarum seruatoris  
nostrri adparitionum ordine earumque nu-  
mero videantur: 10. LIGHTFOOTVS  
chronic. temp. sect. LXXXVII. tom. II.  
operum, p. 58. 1. HERM. WITSIVS exer-  
citionibus in symbol. apost. exerc. XVIII.  
§. 26. p. 346. NICOLAVS GVRTLERVS  
dissertationibus de Christo in gloriam evecto  
Franequer. 10. CCXXCI. His add. bar-

moniam euangel. Chemnitio-Lyfro-Gerhar-  
dinam, cap. CCXI. p. 359. 10. MARCKIVM  
historia exaltationis Chrifti, Lugd. Batau.  
10. CCXXXVII. edita: 10. FRANC.  
BYDDEVVM meditationibus sacris, p. 76. sq.  
10. REINH. RVSIVM barm. euangel.  
tom. III. p. 1454. GOTTL. EICHLERVVM  
harmonia adparitionum Chrifti reduciu. Lips.  
10. CCXXXVII. NICOL. KOEPPENI.

VIII

ac iudicio factam sui a mortuis reuocationem firmare ac docere voluit. Quamvis vero sedula attentione dignissima videantur omnia, quæ de vi-  
so nostro, ad pristinam vitam reduce, seruatore in diuinis rerum, ab eo  
gestarum, commentariis memoriae posteriorum sunt prodita, maxime quod  
nihil, nedum leuisimam περιστωσιν, facile in his narrationibus reperiemus,  
vnde haud possint grauissima peti argumenta, ad salutaris huius de Iesu  
Christi resurrectione dogmatis veritatem, ab aduersariorum telis vindicandam;  
ipsa tamen de duobus illis discipulis, Emmauntem perentibus, hi-  
storia ita est comparata, vt maxima grauitas, cum singulari suauitate  
coniuncta, inesse in illa videatur. Miram ea haberet in legentium animis  
vim, diuinusque scriptor dum narrat, mouet, et ita mouet, vt simul ex  
lectoribus spectatores: ex his infinitæ sapientia ac benignitatis diuinæ  
testes laudatoresque efficiat b). Liceat nobis, in præsenti in ambos hos  
peregrinantes et Emmauntem discendentes, missis reliquis, oculos nostros  
desigere, ac, qui fuerint: quo profecti: quæ præter omnem eorum spem  
et exspecrationem in ipso itinere consequita sint, paullo curatus expen-  
dere; tum vero videre, quæ ipsorum in seruatorem fidei conditio fuerit  
ac modus.

PEREGRINATORES hi Emmauntici, si generatim eos spectamus,  
non in apostolorum, quos Hierosolyma reuersi, inuenierunt congrega-  
tos, *Luc.* XXIII, 33. sed in discipulorum seruatoris nostri, *Luc.* X, 1.  
eiusque amicorum numero fuerunt. Patet id in primis ex *Lucæ cap.*  
XXIII, 13. cuius ibi verba: δύο ἐξ αὐτῶν non solum τὰς ἔνδεια, diuinos  
nempe legatos, v. 9. sed etiam, qui ibidem adduntur, πάντας τὰς λοιπὰς

A 2

respi-

VM de adparitionibus Christi post resurrec-  
tionem, earumque ordine, Gryphiswald.  
CIO ID CCL IO. IAC. QVANDTIVM diff. de-  
gessit Christi quadraginta annib[us] resurrectio-  
nen inter et adjunctionem, Regiomont.  
CIO ID CC XXXI.

b) que de discipulis Emmaunticis *Lucas cap.* XXIII, 13. s. fufc, eadem bre-  
uiter et strictius *Marcus, cap.* XVI, 12.  
narrat, id quod omnes, qui diuinos vite  
Christi scriptores in concordiam redigere,  
studuerunt, nominatim GERHARDVS,  
ALTHOFERYS, SANDHAGENIUS, MA-  
IVS, CAROL. HILDEBRANDVS, L. B.

DE CANSTEIN, RVSIVS, BENGELIVS,  
HAVEVRVS aliisque uno quasi ore adfir-  
mant. Contrariam tamen sententiam tue-  
ntur ex vetustioribus EVTHYMIVS, ex re-  
centioribus non solum ANDR. MASIVS  
rom. II, supplement. criticor. p. 1788. sed et  
iam ANDR. OSIANDER annotationibus  
harmon. libr. IIII. cap. 36. licet sine causa-  
fa, quod recte prater alios contra  
MASIVM ostendit IOANN. CHRIST.  
WOLFIUS curis philol. et critic. in quatuor  
euangel. p. 541. contra OSANDRVM  
IOANN. GERHARDYS barm. cap. CCXI.  
p. 361.

respiciunt; sive, ut *Marci* XVI, 10. verbis vtamur, τὸς μετ' ἀντὸς γενομένως, qui cum eo, seruatore nostro, fuerant eiusque doctrinae ad sensum praebuerant. Neque id ipsi in iis, quos Lucas litteris consignauit, sermonibus, cum magistro collatis, videntur dissimulare. In his enim disertis verbis sanctiori cœtu se adhumerant, v. 22. 24. spemque de Iesu, futuro totius Israelis libertatis vindice, habuisse se, haud dissentunt, v. 21. ac simul, dictorum factorumque eius inscios se haud esse, satis manifeste produnt, v. 19. coll. v. 21. Hæc quamvis ita sint; haud utilis tamen et ad institutum nostrum maxime accommodata quæstio hue adferri nobis posse videtur, quinam speciatim fuerint ambo illi peregrinantes, quos Emmauntem iter tum fecisse, Lucas perhibet. Alter eorum a *Luca* v. 18. CLEOPHAS c) vocatur; qui vero is fuerit, si definiri debeat, veteres pariter ac recentiores scriptores in diuersas abundent sententias. Patriam eius ubi respicimus, non desunt cum inter prioscos christianos doctores; tum ex nostri æui auctoribus, qui, ipsum vicum Emmauntem, quo contulisse se Cleopham nostrum cum amico, itineris socio, diuinus scriptor memorat, natale eius solum fuisse, existimant. Id non solum adfirmat HIERONYMVS d): *Emmaus, de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas meminit euangelista: hæc est nunc Nicopolis, insignis ciuitas Palæstina;* sed etiam ædes proprias Cleopham ibi habuisse, alio

c) de nomine Cleopha, pro quo Syrus interpres haber *Cleupha*, diuersæ sunt eruditorum coniecturæ. Nonnulli idex vocabulis κλέας et ων omnis gloria, conflatum arbitrantur. Alli pro contracto nomine habent, ex Κλεόπατρος orto, eodem sene modo, quo nomina Demas ex Δημητρι, Apollos ex Απολλώνι, Alexas ex Αλέξανδρος, Lucas ex Λυκίανος efficta sint. Vide, quæ ex Vossio ea de re adnotauit SAMUEL BASNAGIVS annal. politico-ecclesiast. ad ann. Christi XXXIIII. §. 150. tom. I. p. 112. In eamdem iere sententiam discedit non solum JOSEPH. IVST. SCALIGER animaduers. ad Enyb. chron. p. 138. nisi quod Κλεοφᾶς ex Κλεόφιλος, Κλεοπᾶς vero ex Κλεοπάτρος ortum suum traxisse, autumat; sed etiam HUGO GROTIUS adnotat<sup>1</sup> ad *Luc.* xxiili, 18. tom. II. operum theolog. p. 464. qui Κλεόπα

τρος nomen, a quo Κλεόπατρα deriuandum fit, pro Macedonico habet, in Syria et Iudea frequentari cepto, postquam Macedones Asiam tenuissent. Intercedit vero 10. LIGHTFOOTVS horis ebraic. et salmud. ad bue locum tom. II. operum, p. 566. nomen ipsum non Macedonicum; sed ebraicum esse statuens, a חַרְבִּי unde quoque Αλφᾶς, deducendum. SCALIGERO adserit 10. DRVSIVS not. ad memoriarum *Luca* locum, in criticis Anglicanis, tom. IIII. p. 1807. LIGHTFOOT VERO CUM 10. SAVBERTVS palæstr. diff. VIII, cap. III. §. 17. p. 229. et in var. lectionib. ad *Martibei* prolegom. p. 14. tum 10. REINH. RVSIVS harm. euangel. tom. III. p. 1273.

d) de situ et nomin. locor. ebraic. tom. I. operum p. 439. ed. MARTIANAEI.

alio loco haud obscure significat e). Repetitoque, inquit, *itinerare Nicopolim, que prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus dominus, Cleophae domum in ecclesiam dedicauit.* Quemadmodum vero HIERONYMI auctoritas tanta haud est, ut sine antiquiorum, fide dignorum, scriptorum suffragis; que tamen hac in causa desiderantur, possit ex eo quid probari; aut extra omnem poni controversiam, eamque ob rem nos quidem haud videamus, quid GROTIUS f), cui nedum HIERONYMI testimonium cognitum fuisse, videtur, ad eamdem sententiam impulerit, quum vero simile esse, dixerit, Emmaunte eos habitasse atque eo regresos, postquam et sabbatum et diem a sabbato primum paschalibus sacris et precibus impenderant; ita, si quid in re incerta statuere liceat, eorum opinionem, qui ex Galilaea, si non utrumque peregrinantem; Cleopham tamen fuisse, arbitrantur, longe probabiliorem credimus, maxime quod discipulum hunc sanguinis vinculo cum servatoris nostri parentibus nonnullisque diuinis eius legatis, quorum patria Galilaea exstitit, coniunctum fuisse, non sine veri specie existimatur. Neque vero de familia huius Cleophae *Ioh. XVIII, 24.* quod certum sit et exploratum, in medium adferri potest. Plurimi in eo consentiunt, Cleopham nostrum esse eundem, cuius vxorem Ioannes ad crucem nostri vadis cum huius matre stetisse, dicat, adeo, ut qui hic Κλωπᾶς, ibi κλεόπας adpelleretur g). Qui ita statuunt, vincere ex eo volunt cognationem Cleophae nostri cum servatoris matre, quoniam ibi ή τάς Κλωπᾶς dicitur ἀδέλφη τῆς μητρὸς Ἰησοῦ sive demum ἀδελφή de forore; sive generatim de consanguinea sumatur; verbis autem: ή τάς Κλωπᾶς vel γυν, vel Θυγάτρη, quoniam utrumque vocabulum; prius tamen posteriori frequentius, solet in graecis scriptoribus passim omitti, adiungatur. b) Addunt sententiae huius fautores, ex hoc effato colligi porro posse, Cleopham nostrum eo tempore in matrimonio vixisse habuisseque secum vxorem suam Hierosolymis, et conferunt inter se dicta *Iohann. XVIII, 25.* et *Luc. XXIII, 10.* et quoniam Maria, quae in altero *Magia Ianaθs*, a nonnullis; sed minus recte, pro Zebedæi vxore;

A 3

vel

e) epift. XXVII.

f) loc. excit.

g) lege præter alios DRVSIVM loco dico.

h) vid. LAMB. BOS ellip. grac. p. 43. coll. p. 83; Qui versionem arabicam sequuntur, malunt in hoc effato cum HV-

GONE GROTIUS ET GER. IO. VOSSIO addere Συγγένη. Contraria tamen sententia plures patroni sunt, ex quibus BEZAM, GERHARDVM, ERASM. SCHML. DIVM, LIGHTFOOTVM nominasse sufficiat. Add. SEB. NAN, TILLEMON-TIVM *mémoires pour servir à la histoire ecclésiast. tom. I. p. 265.* et HENR. DOD- WELLM de iure laicorum p. 227.

vel matre habita<sup>i)</sup>, in altero uxor Cleopha dicatur, *Matth.* vero *cap. XXVII*, §6. *Marc. XV*, 40. coll. *cap. VI*, 3. *XVI*, 1. τῆς τῆς Ιακώβου μητρὸς nomen habeat, ex locis istis cum LIGHTFOOT<sup>k)</sup> efficiere student, Cleopham nostrum trium legatorum Christi, Iacobi minoris, cuius *act.* XII, 2. *XV*, 13. *XXI*, 18. *Gal. II*, 9. fiat mentio, *l)*, Iude et Simonis Cananitae, sive zelotis, *Marc. VI*, 3. coll. *Matth. XXVII*, §6. *Marc. XV*, 44. patrem fuisse. Cleopham porro Alpheum dicunt esse, arbitrantur, quumque id eam potissimum ob caussam credunt, quod Μαγία τῆς Κλωπᾶς, *Ioann. XVIII*, 25. Μαγία Ιακώβος in excitatis sacrarum tabularum locis dicatur; Iacobus vero iste Ιάκωβος Ἀλφαῖς non solum *act. I*, 13. vbi interpres Syrus et Arabs omissum vocabulum νιός recte addunt; sed etiam *Marc. III*, 18. et *Luc. VI*, 15. nuncupetur, tum, sententia huius firmandæ caussa, Alphai nomen vnum idemque esse cum nomine Cleopha, adfirmant ac nostrum discipulum aiunt Εἰδὼς dictum fuisse, quod pro varia legendi ratione *Mattheus Ἀλφαῖος, Ioannes* vero Κλωπᾶς græce reddiderit *m)*. Quod Cleopham nostrum Iacobi et aliorum legatorum Christi patrem habent, cum sine dubio tum iam satis aetate profectum; alterum vero, itineris comitem, forte illo iuniore fuisse, autem, atque ex hoc caussam ostendere volunt, quare a Cleopha, neque ab illo, quem secum habebat, et quem Petrum multi aiunt fuisse, responsum Christus v. 18. sq. tulerit, quæ etiam *HVG. GROTIUS*, aliorumque est sententia.

HAEC omnia coniecturis et ea maxime opinione nituntur, Cleopham nostrum apud *Lucam* esse haud diuersum ab illo, cuius; vel potius eius vxoris, mentionem factam apud *Ioannem* videmus. Quemadmodum vero id nunquam ita, vt merito debet, poterit demonstrari et supra omnem

<sup>i)</sup> vid. COMBEFISIVM auctario no- lection. in acta apostol. p. 58. DIONYS. uo tom. I. p. 1180.

<sup>k)</sup> cbronic, temporum sect. LXXXVIII. tom. II. operum, p. 59. coll. eiusdem ho- rris ebraicis et talmud. in *Lucam*, tomo co- dem, p. 566.

<sup>l)</sup> eius nimirum Iacobi, qui frater domini, filius Alphai, itemque a nonnullis episcopus Hieropolitanus dicitur, et qui ab altero Iacobo, Zebedai filio, diuersus est. Vid. IO. PEARSONIVM

PETAVIVM libr. I. de bierarchia, cap. VII.

SAM. BASNAGIVM exercitat. aduersus

Baronivm, p. 506. THOM. ITTIGIVM se-

lect. biflor. eccles. cap. sec. I. cap. 7. sect. 5.

§. 18. p. 471. IO. FRANG. BVDDEVVM

de ecclef. apost. cap. IIII. p. 230. et 10.

GEORG. WALCHIVM biflor. eccles. nou.

reft. sec. I. cap. I. sect. II. §. 27. p. 216.

<sup>m)</sup> vid. LIGHTFOOTVM loco mem.

<sup>n)</sup> adnotat. ad *Luc. XXVIII*, 18. tom.

II, operum theol. p. 264.

omnem dubitationem ponit, ob antiquiorum, quæ fidem habeant, testimoniis inopiam; sic ii scriptores, qui ea de re memoriae quid prodiderunt, plurimam partem ita comparati sunt, ut eorum suffragio niti ruto haud possimus, vt taceamus, mirum in modum eos dissentire, si, qui fuerit Cleophas noster, et quæ eius cum seruatoris parentibus cognatio; aut affinitas, exponere debeant. Nonnulli, Cleopham fratrem Iosephi fuisse, solummodo dicunt. Addunt alii, Cleophae nostri vxorem etiam Mariæ, matris Christi, sororem; Iacobum vero et Iosèm ex hoc connubio procreatos fuisse; Cleopham vero eam ob causam duplici quasi sanguinis nexus cum seruatoris familia cohæsisse. Ab his discedunt, qui Mariæ τὸν Ιακώβον, utri vocatur, duos maritos adsignant, Alphæum alterum: alterum Cleopham, illum Iacobi et Iosèm patrem germanum, hunc vitricum. Sunt quoque, qui Cleopham filium Symeonem habuissent, alii, qui sine liberis mortuum; viduam vero eius ab Iosepho in matrimonium ductam esse aiunt, pro qua sententia sine omni dubio Cleophas apud Lucam ab illo, cuius Ioannes meminit, diuersus esse debuit, maxime quod ex *Maria Cleophae* apud Ioannem filiam Iosephi faciunt, ex vxore mortui Cleophae natam. His contradicunt ii, qui Mariam, Cleophae filiam, cum Alphæo nuptam, illum auum, hunc patrem Iacobi, Simonis et Iosèm, legatorum Christi, fuisse, contendunt. In tam diuerfas hac in re partes abeunt veteres, quorum aliquot testimonia si adiungamus, haud inconsulto nos facturos, arbitramur. Ita *EVSEBIUS* o) ex aliorum narrationibus, memorat, Symeonem filium *Cleope*, cuius in evangelio fiat mentio, in Iacobi locum successisse, postea vero addit: διεψιδόντες γέ τε Φασὶ γεγονότα τὸ σωτῆρος. Τὸν γάρ ἐν κλωπᾷ ἀδελφὸν τὸν ιωσήφιν ὑπάρχειν Ηγήσιππος ιστορεῖ, creditur autem Simeon patruelis fuisse seruatoris. Nam *Cleopam* fratrem fuisse Iosephi, testatur *Hegeſippus*. Addi merito his debent, quæ ex fragmendo quadam *CHRYSTOMI* inedito, in bibliotheca regia Parisiensi p) latente, in lucem protulit *IO. BAPT. COTELERIVS* q). In his enim adfirmatur, εἶναι τὴν Μαγίαν τὸν κλωπᾶν καὶ Μαγίαν τὴν Θεοτόκον ἀδελφὰς ἐν δύο μητέρων, ἑνὸς δὲ πατέρος, esse Mariam Cleophae et Mariam dei-param sorores e duabus matribus; ex uno autem patre. *HIPPOLYTUS THEBANVS* in *chronico commentario*, cuius partem *HENR. CANISIO* r);

excer-

o) *libr. III. hist. ecclesi. cap. II. p. 87.*r) *tom. III. thes. monumentor. ecclasiast.*p) *num. c. 10 VIII.*

et historic. sive lectione antiqu. ed. IAC.

q) *notis ad patr. apostol. tom. I. p. 281.*

BASNAGIL Amstelod. c. 10 cccxxv. fol.

edit. CLERICI.

excerpta vero ex toto opere, quod itidem in manuscriptis libris memoriae bibliotheca s) habetur, laudato IO. BAPT. COTELERIO t) debemus, *Maria dicit, inquit, u) ἡ τὸς Κλωπᾶς ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς τὸς κυνίας πεσταγοενεύμενή εὐρίσκεται ἐν τοῖς ἀντιγράφοις κ. τ. λ.* Maria autem Cleophae soror matris domini appellata. Sic inuenitur in exemplaribus beatorum orthodoxorumque sanctorum patrum et doctorum, qui scripturas sacras interpretati sunt, quod Cleophas et iustus Iosakim fratres germani fuerint. Quum autem Cleophas uxorem duxisset ac sine prole mortuis esset, Iosakim ebræo more cum uxore fratris sui congressus genuit Mariam. Ex quo tempore illa relicta in sponsam accepit Annam, filiam Mathanis sacerdotis, de qua suscepit sanctissimam dei param. Vocatur itaque Maria Cleophae, soror matris domini, utpote secundum naturam quidem prognata Iosakimo, secundum vero legis gratiam audiens filia Cleophae, in quibus verbis multa esse erronea et falsa, recte IO. BAPT. COTELERIVS x) obseruavit. Addo effata SIMEONIS metaphrasis y): ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς τὸς κυνίας Μαρία ἡ τὸς Κλωπᾶ, ἡ ἔστι Θυγάτερ Ιωσήφ, καὶ ἡ γυνὴ τὸς ἀδελφὸς αὐτῆς Κλωπᾶ, soror matris domini Maria Cleophae, quae est filia Iosephi, atque uxor fratris illius Cleophae, et NICEPHORI, qui tamen mirum in modum sibi ei in re contradixit. Alio enim loco z) dicit: Μαρία Θυγάτερ μὲν τὸς αὐτοῦ Ιωσήφ ἐκ Κλωπᾶς δὲ τῆς τὸς ἀδελφὸς γυναικός, male sic, quasi Cleopha femina fuerit; sed potius, VI COTELERIVS a) moner: ἐπ τῆς Κλωπᾶς δὲ τὸς ἀδελφὸς γυναικός, ἀπαύος τεθνητός ἀντῷ γεννθέση, Maria sponsi Iosephi filia ex fratri Cleophae uxore procreata, cest. quæ verba, si cum alio eiusdem scriptoris effato b) comparantur, in quo uxorem Cleophae ἀδελφὸν τῆς θεοτόκου, καὶ Θυγάτερα σὺν ἐξ Αννης καὶ τῷ Ιωάννει, ἀλλὰ Σαλόμην καὶ Ιωσήφ, sororem Marie dei genitricis et filiam non ex Anna et Iosakimo; sed ex Salome et Iosepho procreatam, esse, perhibetur, facile pater, auctorem hunc, cui per se parum debetur fidei, sibi non constituisse, et Cleophae

s) num. CIOCC LXXXVI.

t) not. ad partes apostolicas.

u) apud cumdem COTELERIVM libr. memorat. vol. I. p. 281. edit. CLERICI.

x) ib. p. 282. leg. qui ibidem laudantur: EPIPHANIVM bœref. LXXVIII. tom. I. operum, p. 1040. HIERONYMVM libr. contra Heluid, cap. VII. et ad Matth. cap. XII. et XXVII. EY- THYMIUM, ad Matth. XXVII, §6. tom.

XVIII. biblioth. max. patr. p. 590. alios que.

y) chronic. manuscr. in biblioth. reg. PARISI, apud COTELERIVM loc. excit.

z) libr. I. hist. eccl. cap. 33. p. 114. add. libr. III cap. 9. p. 237. vbi itidem adiunxitur, Cleophae fratrem Iosephi fuisse.

a) ibidem.

b) libr. III. cap. 16. p. 245.

phæ mortui vxorem, Mariam, Iosepho modo ut tori sociam, modo ut filiam tribuisse, in qua sententia, Cleophae nimirum vxorem extitisse filiam Iosephi, etiam ANASTASIVS Antiochenus, GEORGIVS CEDRENVS et SIMEON metaphrætes fuerunt c). Tacemus de aliis eiusmodi testimoniis, ne iusto longius ea in re versari videamus. Id solum addidisse sufficiat, omnia, qua nobis seruata sunt, de Cleopha eiusque familia d) testimonia eius esse conditionis, ut controversum de eo rem componere ex iis; aut tollere interpretum dissensum nequeamus e).

QVID vero de altero discipulo, quem Cleopham itineris comitem adiunxit sibi, legimus, et cuius nomen Lucas nobis haud significat, statuendum est? Et de hoc neutiquam vna est cum veterum; tum recentiorum scriptorum sententia. Sunt, qui nihil definiunt, etiam ex priscis christianis doctoribus, quo AVGUSTINVS f) potissimum pertinet. Alii cum THEOPHYLACTO g) et NICEPHORO h) ipsum Lucam Cleopha secum fuisse, contendunt, nullam fere aliam ob caussam, quam quod diuinus scriptor singulas περιστάσεις totius historiæ litteris consignauit; id vero, nisi praesens ipse fuisse, vix ac ne vix quidem eum fecisse, arbitrantur. Alii in hac lite pro Nathanaele, Ioann. I, 46. quem PIGNATELLVS i), IOANNES ROBERTI k) aliique l) Bartholomæum,

B

lega-

c) add. quæ ex EVTHYMIO et aliis scriptoribus adserit sacerdos laudatus' CO-  
TELERIVS, p. 287.

d) vid. præter alios, SEB. NAN TIL-  
LEMONTIVM memoirs pour servir a l'  
histoïre ecclésiâf, tom. I. part. 2. p. 1000.  
coll. p. 1002. et 1127. cf HENR. VALE-  
SIVM not. ad Eusebium, p. 48.

e) Cleopha huius, ut martyris, memo-  
ria in BEDAE, VSVARDI, ADONIS, BA-  
RONII alisque latinorum martyrolo-  
giis ad d. XXV septembr. celebratur. In  
græcorum menolog. est d. XIII. octobr.  
Add. TILLEMONTIVM memoir. pour  
servir a l' hist. eccl., tom. I. part. 2. p.  
1004. et NOTKERVVM martyrol. apud  
CANISIVM tom. II. lecr. antiqu. part. 3.  
p. 176. edition BASNAGII.

f) comm. in genf. cap. XXXI, tom. III.

operum, p. 217. edit. Benedictin. Antuerp.

g) comm. in euang. p. 539.

h) libr. I. hist. eccl. cap. 34. καὶ  
ἀντὸν inquit ἡγίας τῆς ἀναστάσεως τοῖς περὶ  
λυκᾶν τοῖς Κλεόνταν τῷ οὖτος περιποιοῦσι  
ταῦτα, eadem ipsa resurrectionis die a Luca et  
Cleopa iter facientibus cognitus est.

i) tract. de apostolatu Narbanæli Bar-  
tholomei, Parif. c1515.

k) in Nathanaele Bartholomæo, Duaci  
c1515.

l) quo spectant: GVL. CAVEVS an-  
tiquit. apostol. p. 546. FRID. ADOLPH.  
LAMPIVS commentar. in euangel. Ioannis,  
I, 46. tom I. p. 467. HERM. WITSIVS  
melerematis. Leidenf. p. 291. et 10. NIC.  
NAHRIVS diff. de Narbanæli apostolo, a  
Bartholomæo non diverso, Lips. c1522  
XXXX.

legatum seruatoris, habent, pugnarunt. In his principem locum **EPI-  
PHANIVS** m) tuerut, ut de aliis, qui hunc sequuntur, breuitatis studiosi ta-  
ceamus. In alia omnia discedunt, qui hac in causa a Petri partibus stant,  
cuius sententiae nonnulli recentiorum interpretum fuerunt, et eo effatum  
1 Cor. XV, 5. referendum esse, sunt arbitrati, ex quibus RICH. MONTA-  
CVTIVM n), 10. LIGHTFOOTVM o) et 10. REINHARD. RVSIVM p)  
nominasse, sufficiat q). Huic opinioni, nisi nos omnia fallunt, ii ex pri-  
fcis christiani ceteris doctoribus, suffragia dare videntur, qui de Simo-  
ne, tanquam Cleophae socio, loquuntur et in quem censem potissimum  
**ORIGINES** r) cadit atque **BASILIVS** s). Etenim, licet probe sciamus,  
a nonnullis, ab **EVSEBIO** t) nominatim et post hunc a **NICEPHORO** u),  
Cleopham filium, cui **Symeonis** nomen fuerit, habuisse, affirmari, adeo,  
vt, patrem cum filio Emmauntem profectum esse, ac de filio Symone  
loqui **ORIGENEM** et **BASILIVM**, dicere quis possit: licet porro nobis  
haud incognitum sit, non solum in nonnullis Origenis editionibus pro  
Simone, **Simeonem** et in aliquot **BASILII** codicibus loco huius nominis,  
**Manahem**; in sermone vero primo de tempore, qui inter Ambrosianos ho-  
die habetur, **Amaon**; vel **Ammaon** legi; non sine tamen summa veri spe-  
cie **ORIGENEM**, quem reliqui sequuti sunt, **Simonis** nomine de Petro,  
qui etiam paullum Συμεὼν vocatur x), loquitum nomenque ipsum apud  
BASI-

m) **hæres.** XXIII. cap. 6. tom. 1. operum p. 67.

n) **origin.** eccles. tom. 1. part. 2. p. 453.

o) **chron.** temp. tom. 11. oper. theol. p. 59.

p) **harmon.** euangel. tom. 111. p. 148f.

q) nonnulli ex iis, qui romani pontificis castra sequuntur, quando verba **Cor.** XV, 5. ad hanc visionem Emmauntiam referunt, de Kepha quodam, a Petro diverso, ibi sermonem esse, statuunt, ac Cleophae socium unum ex discipulis Christi fuisse, credunt, qui, vt Petras, Cephæ nomen gesserit. Contra hos vide disputantem 10. **REINH.** RVSIVM **barm.**  
**euangel.** tom. 111. p. 1509. In primis **HAR-  
DVINVS** post alios in eo operam suam po-  
nit, vt de hoc discipulo Cepha, non de  
apostolo Petro, effatum **Gal.** II, 9.  
intelligendum esse, probaret; sententiam  
vero hanc solide, præter multos alios, re-

refutarunt: **MARCKIVS** part. v. exercit,  
text. num. XXXV. et **hijstor.** exaltat. **Iesu**  
**Christi**, libr. 1. cap. 10. §. 3. p. 121. **THOM.**  
**ITTIGIVS** selectis bish. eccl. capit. sec. 1.  
cap. IIII. §. 14. p. 230. in primis vero  
**SALOM.** **DEYLINGIVS** obs. sacr. parz. II.  
num. 45. p. 520.

r) libr. II. contra **Celsum** cap. 62. tom. 1.  
oper. p. 434. ed. CAR. DELARVE et cap.  
68. p. 438. prefat. in **Ioannem** p. 7. et 10. et  
**bowil.** XVIII. in **Ierem.** §. 8. tom. II. p. 274.  
s) comm. in cap. VI. **Iesiae.**

t) libr. III. bish. eccl. cap. II. p. 86.  
cap. 32. p. 103. et libr. IIII. cap. 22. p. 142.  
u) libr. III. bish. eccl. cap. 16.

x) **act.** XV, 14. coll. v. 7. et 2 **Petr.** I, 1.  
Sic et Cleopha filius modo **Simon**: modo  
**Symeon** in antiquis scriptoribus vocatur.  
Vid. **HENR.** **VALESTIVM** not. ad **Euse-**  
**bium** p. 54.

BASILIVM ET AMBROSIVM corruptum esse, contendi posse, cuilibet videbitur, qui ab ORIGENE <sup>y)</sup> in uno horum locorum, quibus de Simeone et Cleopha sermo est, Andream huius Simonis fratrem dictum esse, recordari velit. Quicquid vero huius rei sit, si verum fateri debeamus, qui alter Cleophae in itinere hoc socius fuerit, vix definiri posse, arbitramur. Vt enim supra adlatum pro Luca argumentum neutiquam totam rem expedire nobis videtur, et ad haec ipse dictius scriptor ad initium euangelii sui ex eorum numero se eximit, qui dictorum rerumque gestarum seruatoris testes *αὐθόπται* fuerunt; ita et eorum sententiam, qui in hac lite pro Nathanaele sunt et Petro, infirmo praesidio nisi arbitramur. Pro illo solus dimicat EPIPHANIUS, qui, vt recte RVSIVS <sup>z)</sup> moneret, id adfirmsat: non probat; pro hoc vero tantum abest, vt solidi quid adferri possit, vt multa eaque grauissima argumenta coniecturae huic possint opponi. Ut enim prætereamus, ipsi huic opinioni corruptam forte lectionem, qua v. 34. pro λέγοντες positum fuit λέγοντες <sup>a)</sup>, occasionem dedisse videri, certe nobis persuademus, discipulos illos Emmaunticos, Hierosolyma reverens, nequaquam dicturos fuisse: οὐ κύριος ὁ Φθιν Σιωνι, quod ab omni loquendi natura abhorret; sed potius ὁ Φθιν ιησου, si Petrus unus eorum fuisse. Iste potius legatus diuinus his verbis distinguitur, et quæ in memorato versu leguntur, vii omnes rationes ostendunt, non Emmaunticorum discipulorum; sed apostolorum verba sunt. Accedit, Lucam, nomen Cleophae, vt seruatoris discipuli, commemorantem, Petri, legati diuinis, nomen sine dubio non retineuisse, si is alter horum peregrinantium fuisse; neque facile v. 24. cum v. 12. nostri capitis posse conciliari; aut rationem ostendi, quare Paullus 1 Cor. XV, 5. solius Petri meminisset, vbi hunc cum Cleopha Emmauntem profectum esse; Paullum vero ad hanc visionem Emmaunticam ibi respexisse, dicere vellemus <sup>b)</sup>.

ETIAMSI vero ex ipso Luca haud aperte liqueat, qui duo illi discipuli Emmauntici fuerint, quibus salutis nostræ auctor tam illustri ac plane singulari modo se præbuit conspiciendum; de iis tamen alia tradidit diuinus scriptor, quæ memoria sunt dignissima, sive *externum*; sive *internum*

B 2

num

<sup>y)</sup> praf. comm. in Ioann. p. 7. coll. p. 10, euangel. rom. III. p. 1507.

<sup>z)</sup> criticis anglicanis tom. IIII. p. 1507. <sup>b)</sup> plura lege apud MARCKIVM hist.

<sup>a)</sup> vid. 10. REINHARD RVSIVM harm.

*num* eorum statum consideremus. Ad illum ubi animum aduertimus, eos legimus Emmauntem discessisse; seruatorem alia ipsiusque incognita specie indutum, colloquium cum iis de se ipso instituisse *c*): se Emmauntem delatis cognoscendum deditisse; eos vero sineulla mora Hierosolyma reuertisse, latissimum hunc de viso Iesu Christo, a mortuis excitato, nuntium sanctiori cœtui adlaturos. Ex quatuor his capitibus primum potissimum discutiamus, maxime quod reliqua non tam ad ipsos discipulos; quam ad Christum spectant, et, si qua in his insunt, quæ de illis dicta videantur; nulla tamen necessaria egent illustratione.

PEREGRINATIONEM discipulorum horum ita describit LVCAS, ut cum eius tempus; tum locum, quo ambo sint digressi, significet. Eos enim *eodem die*, quo nimirum seruator, ruptis mortis vinculis, viuum se exhibuit, et quidem, ut nos probabile esse opinamur, post meridiem *d*), Emmauntem se contulisse, narrat, huiusque loci nomen, conditionem et situm simul breuiter indicat ac describit. Emmauntem nostram vicum fuisse, non solum ex vocabulo *εμμα*νη, quo Lucas vsus est; sed etiam ex IOSEPHO *e*) luculenter discimus, qui locum hunc disertis verbis *χριστον* adpellat; Emmaus vero ibi, licet alibi rectius *Εμμα*ς, *f*) *Αμμα*ς icribit *g*). Vicus

*c*) discipuli igitur hi in antiquis christiani monumentis ut peregrinantes et cum Christo familiariter colloquentes exhibentur. Ac de his quidem explicandum censemus sarcophagum antiquum, in Vaticano repertum et a PAVLO ARINGHO delineatum, Rom. subterranea libr. II. cap. 10. tom. 1. p. 194. Is quidem vir doctus quatuor imagines, in hoc sarcophago extantes, longe aliter interpretatur; cuius vero, vel leuiter eas insipienti, summa cum probabilitate prima de *captiuo*: secunda, in altera sacrophagi extremitate, de *accusato*: tertia de *refusato*: quarta de *exaltato* seruator nostro explicanda videbitur. Tertia vero figura, quæ historiam Christi a mortuis excitati referit, eam sic ob oculos nobis ponit, ut duo peregrinantes et cum seruator nostro colloquentes ibi conspiciantur, qui nulli facile alii, nisi Emmauntici discipuli esse

possint.

*d*) sexaginta enim tantummodo studiis Emmaus ab urbe distabat; discipuli vero ad Christum, quum eo venissent, v. 29. dicunt: *mane nobiscum, quoniam ad vesperam sol vergit et inclinatur dies*.

*e*) libr. VII. *ad bello iudaic.* cap. 6. p. 419. ed. HAVERCAMP. Leg. DRYSIUM nor. ad Luc. XXIII, in critisis Anglicanis tom. III. p. 1507. qui tamem male hue refert aliud IOSEPHI effatum, libr. XII. ant. cap. II. Ibi enim non de vico Emmaunte; sed de urbe huius nominis, itidem in Iudea sita, sermo est.

*f*) libr. XVII. ant. iudaic. cap. 10 p. 859.

*g*) dicitur quoque Emmaum, i Macc. III. 40. et a SOZOMENO libr. V. cap. 20. *Εμμα*. De scriptione huius vocis imprimitis apud iudaicos doctores lego ADAM. RECHENBERGIVM hierolex. voc *Emmaus*, p. 514.

Vicus igitur ab vrbe eiusdem nominis, quæ postea *Nicopolis* adpellata fuit *b)*, sollicite est secernendus. Et si enim vrbis hac pariter ac vicus, quo ambo nostri discipuli se contulerunt, ad iudeam pertinuit; attamen, quum *HIERONYMVS i)* testetur, vrbem illam huius nominis ibi positam esse, *vbi incipient montana Iudea*, facile patet, hanc non LX. *k)* sed ad minimum, vti etiam *ADR. RELANDVS l)* docuit, CCLXXVI. stadiis Hierosolymis absuflle. Ex eo vero facile credimus locorum horum disserimen, quod tam multi neglexerunt, intelligi posse. Testantur præterea *PLINIVS m)*, *IOSEPHVS n)* et *HIERONYMVS o)*, vrbem Emmauntem in ea vicinia, vbi olim Lydda et Ioppe, fuisse, manifesto indicio, in Iudea duplicum olim Emmauntem extitisse, vrbem alteram; alteram vicum. *IOSEPHVS* vrbis saepius mentionem fecit *p)*, quamuis a multis

B 3

eius

*b)* de nouo hoc nomine, Emmaunti vrbis dato, vide, quæ ex *CASSIODORO*, chro-  
nico paschali, *ANASTASIO*, *HIERONYMO* aliisque memorat *ADR. RELANDVS* *Palestin. libr. III.* p. 750.

*i)* comm. in *Daniel. cap. XII. tom. III operum*, p. 1135. ed. *MARTIANAEI*.

*k)* quantum intervallo efficiunt sexaginta haec stadia, de eo harum rerum scriptores dissentient. Plerique duo fere milliaria; vel potius tres horas et diuini-  
dianum iis confidencis tribuunt. Vide *SAM. BASNAGIVS annalibus politico-ecclæstasticis ad ann. Christi XXXIII. §. 51. tom. I. p. 412.* interpres nostri effati in *crisis Angl. tom. IIII. p. 1506.* *IOANN. GERHARDYM harmon. euangel. loc. excit. et CAR. GOTTH. HOFMANNVM not. ad Præf. introd. in lect. nou. testam.* p. 544.

*l)* *Palestin. libr. II. p. 427.*

*m)* *libr. V. historiæ natur. cap. 14. tom. I. p. 563.* ed. *HARDVINI.* *De Emmaunte vico*, inquit *SAM. BASNAGIVS*, in errorem de-  
lapsum est *Plinius*, quod nimurum Emmaun-  
tum toparchiam nominauerit, ut velex hoc  
specimine liqueat, de iis, quæ *Palestinam* ar-  
rinxent, *Iosephus* *Plinio* non esse postpon-  
endum, vti clarissimus opinatur *Hardui-*

*nus, annal. politic. ecclæf. tom. I. p. 413.* Sed quamvis recte hoc contra *HARDVINUM* moneat *BASNAGIVS*; errat tamen tum, quum errasse *PLINIVM* scribit, qui non de vico; sed de vrbre huius nominis iudaica loquitur; cuius erroris etiam *GROTIUM* particeps se fecisse, vide-  
mus ex eius *adnot. ad Luc. XXIII. 13. tom. II. operum*, p. 264. Minus quoque recte senserunt de effato *IOSEPHI libr. XVII. ant. iudaic. cap. 12.* *BASNAGIVS loc. excit. CHRIST. CELLARIUS notiz. orbis anti-qui, libr. III. cap. 13. tom. II. p. 558.* et *IO. LIGHTFOOTVS chronic. temporum, sec. LXXXVIII. tom. I. operum*, p. 59. Istud enim itidem de vrbre Emmaunte, non de vico huius nominis, ut doctissimi hi viri putant, est interpretandum. In eodem errore veritatur etiam *TILLE-  
MONTIVS memoir. pour servir à l'histoi-  
re ecclæstastique, tom. I. part. 2. p. 1003.*

*n)* *libr. II. de bello iudaic. cap. 25.*

*o)* comm. in *Obad. cap. I. tom. IIII. operum* p. 1466.

*p)* *libr. I. de bello iud. cap. 9. libr. II. cap. 3. et 25. libr. III. cap. 2. libr. V. cap. 4. libr. VI. cap. 1. libr. XII. antiqu. iud. cap. II. libr. XVII. cap. 12.* Effata haec de  
vrbre

cius effata sciamus de vico nostro explicari et discrimen omitti, quod vrbem inter et vicum statui debeat. Cuius negligentiae nomine iam EVSEBIUS ET HIERONYMVS se suspectos quodammodo reddiderunt, quum vicum nostrum Nicopolin dictum fuisse, scripserunt q). De nostra tamen Emmaunte interpretanda sunt verba IOSEPHI r): διδασκούσις δὲ μόνος ἀπὸ Ιησοῦ σαρκίας χωρίου ἔδωκεν εἰς παλίνηστρον, ὃ παλεῖται μὲν Ἀμμαῖς, απέκτειναι δὲ λόγων ἱεροτελέων ταῦτας ἐξήνεκτα, solis octingentis militibus illic, scilicet in Iudea, relicitis locum dedit, quem incoherent, qui vocatur Ammaus. Dicit autem Hierosolymis stadii sexaginta, vbi in græcis codicibus recte ἐξήνοντα legitur, non τριακοντά, ut in interprete huius scriptoris latino, et apud RUFINVM AC ZONARAM s). Ab utraque hac Emmaunte alia in tribu Zabulon est secernenda, haud ita procul a Tiberiade ciuitate sita, a thermis olim, a quibus etiam, teste IOSEPHO t), nomen duxit, nobilitata.

## MVLT A

vrbe Iudeæ Emmaunte, non de vico esse intelligenda, RELANDVS docet Palestina, p. 429, qui et eo refert locum HIERONYMI com. in Dan. cap. VIII. et in Macc. III, 20. 40, III, 15. VIII, 50. De hac vrbe explicanda etiam verba sunt, quæ de Emmaunte habentur apud THEOPHANEM in chronographia, p. 41, et in midrasch Cobeketh, fol. 106. col. 2, itemque verba SOZOMENI libr. V. cap. 20, ac NICEPHORI libr. X. cap. 31. Plurima quoque, quæ veteres de Emmaunte tradunt, ibi Iudam Maccabæum exercitum Antiochi fugasse: eam terra motu concidisse, bello iudaico deletam, post instauratam fuisse: habuisse eam facrorum antifitem temporibus Godesfredi, et quæ sunt eius generis alia, non de vico nostro; sed de vrbe Emmaunte sunt accipienda.

q) libro de locis ebraicis, græce primum ab EVSEBIO, deinde latine ab HIERONYMO scripto, tom. I. operum Hieronymi, p. 439. ed. MARTIANAE CLINIAE, BONFRERII onomast. web. et locorum scripturae sacrae p. 68. edit. CLERICI. Eundem errorem communissi ZACHARIAS, epi-

scopus Chrysopolitanus libro, quem inscripti: unum ex quatuor, libr. IV. cap. 176. tom. XVIII. biblioth. max. parvum Lugdunens. p. 950.

r) libr. VII. cap. 26.

s) error hic latini interpretis BEZAM secessit, adeo, ut ad nostrum Lucæ effatum scriberet: aut hic, scilicet apud Lucam, peccatum est in numero; aut apud Iosephum non recte scribuntur stadia triginta. Neuter peccauit; sed latinus potius interpres, quem BEZA sequi non debuistis.

t) libr. IV. de bello iudaico cap. 1. coll. libr. XVIII. ant. iud. cap. 3, vbi huius vrbis et libr. II. de bell. iud. cap. 27. thermarum, quæ ibi aquarum Tiberiensium nomen habent, mentio fit. Add. de hac Galilæa vrbe: SAM. BOCHARTVM geogr. sacr. libr. II. cap. 16. p. 848. NIC. SANSONVM geogr. sacr. p. 48. ed. CLERICI: SAM. PASNAGIVM libr. memorato p. 413; vbi recte doctissimus vir BONONIVM, vt CHRIST. CELLARIUS norit, orb. ant. libr. III. cap. 13. p. 588. BONFRERIVM, cuius verba norit ad onomastis.

MULTA præterea LVCAS historiæ huic intexit, ex quibus *internus* discipulorum horum status satis luculenter intelligi potest. Erant inter asseclas Christi: erant fide in ipsum, tanquam messiam, prædicti; cui tamen, vi legatorum aliorumque amicorum seruatoris, labem aliquam et maculam præjudicatae illæ opiniones de messia futuro regno in his terris adsperserant. Fides hac virtut erat; satis tamen altas in eorum animis egerat radices, adeo ut violenta Iesu Christi morte, cuius *pusnicio* ultra eorum intelligentiæ vires tum possum esse videbatur, valde quidem labefactaretur, v. 21. non autem penitus euelleretur. Habent enim Iesum etiam post mortem verum et de caelo demissum patrem v. 19, cui innocentia iudeorum senatus violentas intulerit manus, v. 20. Mæror summus, qui in ore ac vultu eorum sedebat *u*), v. 17. tenerrimi erga magistrum suum amoris haud obscurus erat index. Conferunt inter se sermones et ita quidem, ut animi eorum motus ex iis luculenter paterent, et summum studium proderent, omnia, que in funesto seruatoris ex hac vita discessu consequuta fuerant, ponderatis et discussis vtrinque argumentis, inter se, et forte cum eius pristinis colloquiis, comparandi *x*). Recordantur *tertii diei*, v. 21. eius aliquoties seruator mentionem iniecerat, eoque haud obscuræ, non omnem hanc obcausam ab eis spem, etiam post eius mortem, abiectam fuisse, significant, quamquam, inclinato iam ad vespertinum tempus die speque eorum per id fere delusa, tanto videbantur tristiores. Fidem quidem non omnem; nequitram tamne plane nullam dant narrationibus piarum mulierum, v. 22. hasque suspensos eos quodammodo et inter spem et metum adhuc derelinuisse, ingenue fatentur *y*). Testatum simul faciunt desiderium, magna

*con* *verb.* et *locor.* *sacra scripturae*, p. 68. ed. CLERICI habentur, refutat, quod verique hanc Galilææ urbem cum nostro vico confudit; SOZOMENI tamen effatum, ibidem a CELLARIO et BASNAGO in medium adlatum, nollemus verrumque de vico nostro Emmaunte, in Iudea regione sito, interpretatum esse.

*u*) de vocabulo *exus* *gōtē*, quo hic LVCAS est usus et quod cum *trifitiā*, tum morositatem significat, leg. CORNEL. ADAMII observationibus theolog. philologicis, p. 115. 10. HENR. MAIVM obseru. sacr.

part. I. p. 74. IAC. ELSNERVM obseruationibus sacris ad Matth. VI, 16. p. 35. et 10. CHRIST. WOLFIUM curis philol. et crit. in Matthæum, p. 133.

*x*) vide 10. REINH. RVSIVM harm. euangel. rom. III, p. 1488. et 10. GERHARDIVM harm. euangel. ad nostrum effatum p. 364.

*y*) ita fert significatio verbi *legētōs*, de quo PRICAEVS nos. ad nostrum locum videndum est itemque AMELIUS in der Erörterung der schwersten Schrifstellen neuen Testameuts part. II. p. 856.

magna illa cruciatuum et mortis Christi *μυστήρια* ex prioris fœderis val-  
tum libris magis magisque cognoscendi, hancque ob caussam incognitum  
magistrum suum a se dimittere nolunt, v. 29. Præbent assensum eius  
dictis, v. 32. quumque sibi eum docentem audientibus, *καρδίαν καιομέ-*  
*ντεν* tribuunt, v. 32. fatis simul declarant, quanta incrementa tum cepe-  
rit eorum fides et quot multa, antea minus recte intellecta, in salutis suæ  
negocio diuinoque hanc restituendi consilio ex cœlestis huius doctoris  
ore didicerint. Repetunt, viso seruatori, lætabundi et sine vlla mora  
vrbum, quam tristes reliquerant, et eo animo repetunt, ut lætissimum  
hunc de rediuiuo Iesu nuntium afflico sanctiori cœtri adferant alios-  
que summæ huius lætitia faciant participes.

DISCIPVLOS hos Emmaanticos, qui olim cœlestis de Iesu, a mortuis  
reduce, veritatis precones fuerunt, VOBIS, OPTIMI CIVES, sanctioris in  
fieriis his agendæ vite magistros commendamus. In hos defigite oculos  
vestros: intuemini eorum exemplum et, vt illi præclare fecerunt; ita  
et vos sacros hos et Iesu Christi ad pristinam vitam reuocati memoriae  
consecratos dies piis meditationibus transigit. Frequentes obite tem-  
pla mentesque his inferte castas seruatorisque vestri maiestati deuotas.  
Componite vos ad oracula diuina rite et, vt decet, audienda, vestraeque  
salutis, cuius caussa haec omnia fieri a yobis volumus, studiofissimos vos  
ostendite. Significate animum supremi numinis beneficiorum memo-  
rem et erga eius nuntios voluntatisque diuinæ interpretes liberalem, id  
quod sincere precamur vosque omnes pariter ac singulos cœlesti, per  
mortem Iesu nobis reparatae, gratia studiose commendamus. P. P. in  
academia lenensi, anno a virginis partu omnibus salutari

CIVI 10 CC LIIII



39 A 6970



Retro ✓







DISCIPVL  
I  
E M M A V N T I C I  

---

  
COMMENTATIO  
  
AD  
PIE CELEBRANDA PASCHATIS  
SACRA  
IN ACADEMIA IENENSI  
PROPOSITA  

---

  
LITTERIS SCHILLIANIS

# LITTERIS SCHILLIANIS